

E *radice* tenui, repente, *caules* oriuntur plures, hinc inde super terram sparsi, herbacei, quadrangulares, et ad angulos spinis aduncis armati, alias glabri. *Folia* in his alterno nascuntur ordine, alata, duobus plerumque vel tribus alarum paribus constantia; quorum costa media spinulis etiam horret, alias lævia sunt, et saturate viridia. Alæ sibi mutuo oppositæ oriuntur; constantque pinnulis oblongis sibi invicem etiam oppositis, nervo per longitudinem singularum oblique decurrente. E foliorum alis oriuntur pediculi, nunc singuli, nunc plures, fescunciales et spinosi; sustinentes *flores* elegantissimos, in globulos compactos, apicibus aureis, cætera rubros, forma vero congeneribus similes. Hisce evanidis succedunt *siliquæ* unicapulares, biunciales, quadrangulares, et quadrivalves; octo spinarum ordinibus armatæ, quatuor scilicet ex angulis ortis, reliquis e mediis valvis. Valvæ autem non omnes inter se æquales sunt, sed binæ binis. Namque binæ sunt quæ quatuor angulos formant, reliquosque quasi comprehendunt, et singulæ tribus spinarum ordinibus præbent originem; hæque quidem, maturo fructu, ad mucronem plerumque cohærent; diffilientibus binis aliis valvis, ut effundantur intus contenta *semina*, quæ angulosa sunt, et uno ordine disposita.

Frequentissima est hæc planta in sabuletis circa Veram Crucem.

Nulla in schedis Houstouni adest descriptio Mimosæ in Tab. 26. exhibitæ.

F I N I S.